



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. VVilhelmus Abb. 4. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

.Iulii.
versus.
, etiam
Lumen
DEVM
m cœ-
tinuò
á tam
rolue-
, ape-
late-
, tum
io M.
stante
m ta-
ix Ar-
unc de
corpore
ris se-
atitn-
æsar.

quæ
nstil-
itur.
levi-
ona-
s nec
s so-
inem
graf-
EVM
iret,

5.Iulii. VITÆ S A N C T O R V M . 333
exciret, simul digito in focum immisso incendiis
incendia opponeret; feminas denique, vel se fe-
minâ auctore, fugeret. His monitis velut lacte
virtus UDALRICI crevit ridentis irridentium coæ-
vorum turbam, qui cum ludibrio, sed sine menda-
cio, Sanctum jam tum clamabant. Sed graviora
testimonia jam Pontifici cælum dedit, è quo ma-
nus delapsa sacrificare cum UDALRICI manu est
visa: Fluvium nunc in perforatâ navi, nunc sine
illâ siccus trajecit: Contra Barbaros Augustam
Vindelicorum obsidentes Ottoni Imp. præsentia
suâ nobilem victoriam peperit: VIRGINIS Augu-
stanæ bona adversùs rapaces manus tutatus com-
milites Cælites habuit, qui variis pœnis in prædo-
nes pugnarunt. Multis aliis miraculis illustris fal-
sus tamèn est pœnas se Numini debere, quòd suc-
cessorem sibi nepotem (cetera dignum) legisset.
Proinde non nepotes sed pauperes fecit hæredes,
in quos moriens etiam supellectilem sparsit. Sed
nimurum sic vasa colligunt Pontifices in cælum
migraturi. Ex vitâ.

*Quid tibi necesse est, in eâ versari domo, in quâ ne-
cessé habes quotidie aut perire aut vincere? Quis juxta
viperam securos somnos traxit? que et si non percutiat,
certè solicitat. Securius est, perire non posse, quam juxta
periculum non perisse. S.Hieron.Ep.47.*

S. VVILHELMUS ABB. 5.Iulii.

B ojariæ hic VVILHELMVS debetur, ex qua
Boriundus Monachum Ratisbonæ induit. Hic
omnibus omnino artibus excultus, Mathesin ta-
men præ cæteris coluit, quod multa atq; præclara
monumenta ipsius loquuntur literis consignata.
Eloquentiæ tantæ erat, ut sanctiorem Orpheum
diceres,

diceret, qui saxa etiam traheret. Præsul Hirsa-
giensis in miseros tam pius fuit, ut his vestiendis
non semel pœnè se ipsum nudarit. Sed nimurum
fœnus à nullis majus, quām ab his ipsis, qui redde-
re nihil possunt, avarus speret. Hoc certè VVIL-
HELMVS tunc tulit, cùm in suorum usus pondo ar-
genti V. ab ignotâ terris sed non etiam cælo manu
abstulit. Quid jam horrea memorem, quæ, quòd
VVILHELMI liberalitas exhausisset, subitam mi-
ramque messem; quid cellam, quæ effuso per ne-
gligentiam vino, novam in dolio vindemiam vi-
derunt? quid piscatum felicissimum? cùm missum
sæpius in aquas rete præter laborem inanem diu
nihil, pòst imperio Divi Christi que nomine im-
missum ingentem piscium prædam retulit. Taceo
hæc aliaque à morte miracula; & revocatam per
VVILHELMVM ad primas leges D. Benedicti per
omnem ferè Galliam & Germaniam familiam, &
ad Religiosæ vitæ amorem vilissimaque in hac
munia excitos Nobilissimos juvenes laudo, pisca-
tum priori longè præferendum. Cæterum astra
sua VVILHELMVS propioribus oculis aspexit an-
no Christiano M.XCI. Ex Trithemio.

*Eleemosynam, quantum possumus, & quamdiu vivi-
mus, & ipsi habere, & aliis impendere festinamus, ut
securi possumus in die Iudicii dicere; Da Domine, quia
dedimus; nos fecimus quod jussisti, tu implè, quod pro-
misisti. B.Cæsar.hom.15.*

S. GOAR CONF. 6.Iulii.

Iure meritissimo inter Apostolos suos GOAREM
numerant Trevirenses, ut quibus ille supersti-
tione implicitis inter primos Deum nuntiavit.
Sed dum illum æquis auribus vel maximè audivit
popu-